

[Faint, illegible handwritten text, possibly bleed-through from the reverse side of the page]



81

XXV

Ex

ETHICIS
DISPUTATIONEM

DE

VIRTUTE HE-
ROICA,

PRÆSES

M. PETRUS Stamm/
Halberstadensis Saxo

RESPONDENTE

JOHANNE HEINRICO SCULTETO
Torgensi Misnico

habebit

*Ad Diem XXIV. Mart. Horis matut.
in Auditorio Minori.*



WITTEBERGÆ

Typis JOHANNIS BORCKARDI, Acad. Typogr.



AUCTORITATE

*Spectatissimis, virtute Præstantissimis, consilio
Prudentissimis Viris*

DN. JOHANNI

Fogelhaupten/

Reipub. Torg. Consuli dignissimo,

Nelson

DN. GEORGIO *Sanzlanden/*

ejusdem Reipub. Judici Spectatissimo

Dnn. Affinibus optimis, Mæcenatibus

eximiis, Amicis archetypis, summo honore,
amore, & studio prosequendis,

*Hanc Ethicam διὰ σκεψιν, sinceri amoris arrham,
debitæ gratitudinis tesseram*

Dedicat


Merito, quia debuit,

Offert

Libenter, quia voluit

Johannes Henricus Scultetus.





I. N. J.

Quæstio I.

An detur Virtus Heroica?

§. 1.

DE Existentiâ Virtutis Heroicæ non immeritò hic sumus solliciti. Nam & Methodi id svadet ratio, & rei ipsius natura atqve conditio. Quæ enim Methodus in Scholis Philosophorum frequentior, quàm ea, quæ τὸ αἶψα rerum primò, deinde τὸν λόγον τῆς γένεσος commonstrat? Quid? Essentiâ Existentiâ præsupponit, & irritus est omnis circa naturæ alicujus evolutionem labor, si, utrum hæc natura detur, totus quis dubitat.

§. 2. Cæterum de Existentiâ, quam Respectivam vocant, hæc quæstio non movetur, nam de eâ postmodum agemus, sed de Absoluta Virtutis Heroicæ Existentiâ quærimus. Quòd ergò Virtus hæc detur, probamus

1. Ab ejus Objecto. Pro quâcunqve enim Virtute verum datur atqve reale objectum, illa ipsa & vera est & realis. Atqvi pro Virtute Heroica verum datur atqve reale objectum. Ergò & ipsa vera est atq; realis. Majorem confirmamus, quia Virtutes ab Objectis suis & in esse & in conservari dependent. Quemadmodum igitur Fortitudo pericula sustinet & aggre-

A 2

ditur,

ditur, proptereaque datur. Temperantia mediocritatem ser-
vat circa voluptates, quæ ex cibo, potu & venere percipiuntur,
& propter ea datur. Liberalitas circa pecunias modicas dan-
das & accipiendas versatur, ideoque existit. Ecquis ergo suam
Virtuti Heroicæ denegabit Existentiam, cum non minus ea,
quàm reliquæ Virtutes, proprio suo Objecto gaudeat?

2. Probamus eandem assertionem nostram sequenti ar-
gumento: Posito Effectu, necesse est causam poni. Atque
Virtutis Heroicæ ponitur Effectus. Ergo & ipsa ponitur. Ma-
jor est Metaphysicorum & Logicorum Canon. Minor proba-
tur hoc modo: Si multi mortalium speciali quadam Dei impulsu
ita feruntur, ut ea efficiant, quæ cæteris viribus humanis
impossibilia sunt, Virtus dabitur Heroica. Hæc Major negari
non potest. Propria enim Virtutis Heroicæ formalitas sine ip-
sa Virtute dari nequit, sicut neque hæc sine illa existere potest.
Subsumimus: Multi mortalium speciali quodam Dei impulsu ita
feruntur, ut ea efficiant, quæ humanis viribus cæteris impos-
sibilia sunt. Antecedens hoc stupenda probant, ut aliorum,
sic Herculis & Thesei opera. Is namque adversus monstruosam
Gigantomachiam arma suscepit, robustissimos quosque prædones
in arenam provocavit, hydram multorum capitum brutum suf-
focavit. Mitto hujus generis multo alia facinora. Hic, The-
seum puto, quot quantaque patravit opera? petram submota cal-
ceos & enses sustulit, minotaurum percussit, pedestri itinere A-
thenas profectus viam ab ingenti nefariorum hominum multitu-
dine obsessam, tutam servavit. Taceo plura. Sacras si consu-
limus paginas, ecquis leonem vincit, horribilis staturæ gigan-
tem trucidat? David est. Quis acies Philistæorum instructissi-
mas flocci pendit, solus cum omnibus prælium inicit, armis non
instructus mille armatos unâ asini maxillâ pro-
sternit, occidit? Simson est. Datur ergo Virtus He-
roica.

quib

3. Pro



3. Pro obtinendâ Virtutis hujus existentia porro argu-
mentamur: Si datur Concretum, Abstractum datur. Atqui
verum est prius: Ergò etiam posterius. Major suâ luce radi-
at. Sicut enim Fortis Fortitudinem, Temperans Temperan-
tiam, Justus Justitiam; ita & Heroes Virtutem Heroicam infe-
runt. Sed Heroes qui negat, quod omnium seculorum series
probant, improbat. Datur ergò Virtus Heroica.

4. Accedit Testimonium Veterum. Jamblichus enim
Lib. de Myst. Egypt. Sect. 2 novem constituit Deorum ordines:
Deos invisibiles, Deos visibiles, Archangelos, Angelos,
Dæmones seu Genios, Principatus, Principes, HEROES,
Animas defunctorum. Datur ergò Virtus Heroica.

Quæstio II.

An Virtus Heroica à Morali specie differat?

Negamus specificum inter Virtutem Heroicam & Mora-
lem discrimen, moti hoc Argumento: Quæcunqve differunt
tantum secundum magis & minus, illa non differunt spe-
cie. Nam magis & minus non variare speciem vulgaris Lo-
gicorum Canon est. Atqui virtus Heroica & Moralis differunt
tantum secundum magis & minus. Utraque enim ad bonum
civile dirigitur & in eo saltem à se mutuò distinguuntur laudatæ
Virtutes, quòd Heroica splendidius finem suum assequatur quàm
Moralis. Sic eadem specie fortitudo in Alexandro magno fuit
& Pompejo, in illo tamen secundum excellentiorem, sed in
hoc secundum depressiorem gradum. Idem nobiscum sentiunt

Keckermannus Quæst. 14. Disput. 27. Curs. Philos. Piccolom.
Gradu 6.c.3. Casus lib.7. speculi pag.457. M. Wolfgang Heiderus
Philos. Mor. System. part.2. Quæst.1. pag.409. & alii haud imi sub-
sellii Ethici. Non ergò Virtus Heroica à Morali specie di-
stingvitur.

Quæstio III.

An Virtus Heroica sit tractati- onis Ethicæ?

Non pauci Ethicorum reperiuntur, qui Virtutem Heroi-
cam summam potius & plus quàm humanam Virtutum perfe-
ctionem esse contendunt, hinc Virtutem esse non modò negant,
sed Ethicà tractatione eandem indignam esse judicant. Nos se-
quens ipsis opponimus Argumentum: Quodcunque est Vir-
tus Moralis, illud est tractationis Ethicæ. Atqui Virtus Heroica
est Virtus Moralis. Ergo tractationis erit Ethicæ. Major sole
meridiano clarior est. Minor probatur, quia, cui Definitio
competit, ei etiam Definitum meritò tribuitur. Virtus autem
est habitus animi mentem humanam ut verum perfectè cogno-
scat, & bonum constanter eligat & faciat, informans. Et se-
cundum Phil.2.Eth.c.6. definitur: Virtus moralis est habitus ele-
ctivus, in mediocritate quoad nos consistens, & ratione defini-
tus, prout vir prudens eam definiret. Has si contemplamur de-
finitiones, ex asse Virtuti Heroicæ convenire dicimus. Nam ubi
eminentia & splendor est harum rerum, ibi etiam ipsa rei adest
essentia, quanquam majori cum excellentia sit conjuncta. Vir-
tus igitur Heroica est tractationis Ethicæ. Tantum &

Quæstio IV.

Quodnam sit legitimum Virtu-
tis Heroicæ Genus?

§. 1.

Omne Genus ex Prædicamentorum desumitur classibus, Virtus Heroica in Qualitatis Prædicamento est, ex hoc ergo & non aliunde Virtutis Heroicæ Genus desumendum est.

§. 2.

Non autem idem cum Evulsio inflamus eorum, evulsio-
nem perturbationum humanarum Virtutis præsentis Genus sta-
tuentes. Nam

1. Nulla Virtus circa Affectus penitus extirpandos occu-
pata est. Sed posito, non autem concessio, Heroicam Virtutem
in evulsione humanarum perturbationum consistere, num quid
sequeretur aliud, quàm omnimoda Affectuum eradicatio? Sed
neutiquam Virtutis ratio est, ut omnes à Natura separet Affe-
ctus: sed coercet eos, intraq; debitos honestatis limites continet.
Quodcunq; igitur Genus communi Virtutum naturæ contraria-
tur, id, sicut nullius, ita nec Virtutis Heroicæ Genus est. Atqui
expulsio ista perturbationum humanarum communi virtutem
naturæ contrariatur. Non igitur Legitimum Virtutis Heroicæ
Genus erit. Certum omnino est, Fortitudinem, iram & metum
non expellere, sed Affectus hosce tantum dirigere. Sed commu-
nem hanc Virtutem Virtus quoq; sequitur Heroica.

2. Ex.

2. **Experientia**, cui temere refragari nefas est, contrarium svadet. Simlon certè Heros excellentissimus, ab Affectibus non fuit immunis, ira namqve & odio, lætitiã atqve tristitiã commotum esse quis est quem latere qveat? Silentii peplo aliorum Heroum Affectus jam involvo.

3. Quotcunque per se ex rei alicujus natura redundat id ipsum à Qualitate contingenter superaddita expelli nequit. Nam omnia, quæ realiter à natura separari possunt, non per se, sed per Accidens saltem eam sequuntur. Sed quòd Affectus per se ex natura Animæ sensitivæ fluant, vel ipsa Affectuum probat Essentia. Sic enim definiuntur; Affectus sunt passiones Appetitus sensitivi, exorti in corde ob notitiam objecti vel boni, quod prosequuntur, vel mali, quod fugiunt. Ex quibus abundè consta, Animæ sensitivæ Affectus esse, adeoque nec ad mentem, nec ad Voluntatem, sed ad Appetitum sensitivum duntaxat spectare. Idem bruta quoque ratione destituta, probare videntur. Hæc enim non minus ac homo variis commotionibus sunt exposita, & sic multò minùs Affectus expelli prorsus possunt. Distingvendum igitur esse opinamur inter Affectuum humanorum *ὁυσίαν* & iisdem adhærentem *ἀραξίαν*. Non circa illam, sed hanc expellendam Virtus accupata est. Illa naturalem hominis perfectionem, hæc corruptionem ejus arguit. Quare, misso spurio Virtutis Heroicæ Genere, id, quod *γυησιως* tale est, assumimus. Habitum videlicet animi divinitùs quibusdam concessum. Conveniunt Generi huic omnia boni Generis requisita, quæ sunt esse cum specie sua in eodem Prædicamento, de essentia speciei esse, superare istam naturæ prioritate ac majori generalitate. Vide Logicorum facillè Coriphæum B. Jacob. Martini Instit. Log. p. 37. 41.

Quæstio V.

Quænam fit Causa Virtutis Heroicæ Efficiens?

Non tam de causa Efficiente secundâ quærimus, secundum quam Virtus Heroica cum cæteris Virtutibus familiariter conspirat, sed de prima & principali.
Heroi-

Heroicæ Virtutis, inquit Clariss. Liebenth. Coll. Eth. Exerc. 14.
Qvæst. 1. Causam Efficientem dicimus singularem Dei Afflatum
& ductum. Subordinatam Itatuimus duplicem: Internas & Exter-
nas. Ad internas referimus 1. naturæ bonitatem. 2. Rectam
educationem. 3. inexplebile illud desiderium, quo plerumq;
Heroes ducuntur. Ad causas externas referimus subsidia Virtu-
tum, ut sunt constantia laboris in perficiendo opere, ut opera ma-
xima egregia alacritate, magno calore & molimine suscipiantur
& perficiantur. Videatur l. c. Deus igitur, ejusq; Afflatus quidam
specialis Virtutis Heroicæ causa prima est. Per hunc tamen Affla-
tum, seu impulsum, non intelligimus motum mysticum & spiri-
tualem, quatenus Spiritus Dei mystico quodam impulsu quosvis fi-
deles agit, eosq; ad exercitia spiritualia impellit Rom. 8. 4. Neq;
illum intendimus Afflatum, qui omnium hominum est, ex quo ha-
bent ζῶντι καὶ πνοήν. Act. 17, 25. Sed de ardore loquimur ejusmodi,
quo Personæ quædam percipiuntur, ut ingenti quodam conami-
ne ad facinora aliàs humanæ potentiæ impossibilia suscipienda
& efficienda assurgunt. Hic Afflatus Divinus solius Virtutis He-
roicæ est. non cæteris moralibus communis, quippe quæ huma-
na industria crebrisque exercitiis à quovis comparari possunt.
Sed Heroica Virtus communi hominum naturæ non competit,
neque ab omnibus indifferenter acquiri potest. Nam Teste
Tullio Lib. 2. de Nat. Deorum, Vir magnus sine afflatu divino
nunquam exitit.

Qvæstio VI.

Qvodnam sit Virtutis Heroicæ Subiectum?

Subiectum hoc loco intelligimus non immediatum & quo, sed
B media-

mediatum, quod ultimum aliis dicere solent & Denominati-
onis, Materiam item in qua. Subjectum igitur Virtutis Heroicæ
1. non sunt Pueri. Rationes damus sequentes. (1) quia rationis
destituuntur exercitio. Ut ut igitur causa prima, ut diximus, Vir-
tutis Heroicæ Afflatus quidam Dei specialis sit, non exclusivè tamen
illud, sed inclusivè intelligendum est, ita, ut causæ secundæ non
excludantur, sed includantur & præsupponantur. (2) Quia Virtu-
tes Morales adultorum tantum sunt: Sed Virtus Heroica Virtuti
Moralis non opponitur, sed eidem subordinatur. (3) Pueri non
sunt προηλικοὶ διὰ τὴν ἡλικίαν, ἀλλὰ διὰ τὴν ἐλπίδα μακαρίζων-
ται Arist. l. i. Nicom. cap. 10. & l. Eth. cap. 9. Distincta ergo sunt. In
pueros cadit Virtus Heroica formaliter & aliud Indoles Heroi-
ca, seu vestigia quædam Heroici animi in pueris elucent. Illud
negamus, hoc è contrario probant Exempla Davidis, Alexandri
Catonis aliorumque. 2. A Subjecto Virtutis Heroicæ sexus sequio-
ris Homines excludi non possunt, licet Exempla varia sint. Imbecil-
litas quidem naturalis hujus sexus obstare videtur, quò minùs
Virtutis hujus capax esse possit, cum sit τῆ φύσει σκευὸς ἀδυνεὺς
ἢ γυνή. Deinde obstare videtur sexus hujus inconstantia. Ad
Virtutem Heroicam firmissima animi requiritur constantia. Sed
muliere quid mutabilius? Varium & mutabile semper foemina:
Verum enim verò quòd rarò accidit, etiam accidit. Mulieribus igitur
quòd Virtus hæc minimè repugnet, probatur (1) quia, quæ
& materialiter ad hanc Virtutem requiruntur, ut sunt causæ par-
ticulares & formaliter, nempe Afflatus Divinus specialis mulie-
ribus non repugnant (2) Cadunt Virtutes aliæ morales in sexum
muliebrem, cur ergò secundum excellentiam talis ipsi contraria-
retur? (3) Feritas quarundam mulierum est, ergò & Virtus Heroi-
ca, cum contraria in eodem subjecto esse queant. (4) Patrocinan-
tur sententiæ huic varia tam sacra quam profana exempla. He-
roicum enim est, quòd Jael Sisaram Principem Exercitus Jabin in-
commodum & salutem Israelitarum interfecerit. Jud. 4. 21. Heroi-
cum est, quòd Juditha Holoferni caput absciderit. Jud. 13. 9. Quæ
de Semiramide, Amazonibus, Artemisia, Margaretha Danica, E-

lisabe-

lisabetha anglica aliq; habentur, videantur hinc inde apud Histo-
 ricos Justin. l. 1. & 2. Plutarch. de Claris Mulierib. Lips. fol. 58 Cæl.
 Rhodig l. b. 14. & c. 3. *Subiectū Virtutis Heroicae & imi quoq; subjellii
 homines & spurii quoque esse possunt. Deo Deo* namque hominibus
 Virtus hæc contingit, adeoque non ab hominum communi con-
 stitutione, sed à Dei potius peculiari Dispositione dependet. Sed
 ubi eadem causæ eodem modo se habent, quid ni effectus quoq;
 idem sperandus esset? Historiarum certè monumenta homines
 ex ignobili stirpe prognatos ad summum imperii culmen ad-
 scendisse, testantur. Ita Davidem Pastoris Bethlehemitici filium
 molis horrendæ Gigantem prostravisse, ecquis ex 1. Reg. 17, 50.
 nescit? eundem ex humilitate pastoritia in solium Regium eve-
 ctum esse, quem fugit? De spuriiis quoque res in plano est. Hi
 namq; cum à nemine non contemnantur, summo nituntur ope-
 re, ut emergant, ut ardenti virtutum studio dedecus hocce amo-
 liantur. Exempla non pauca adduci possent, si paginarum an-
 gustia capere eadem posset. Vid. antea cit. Heid. l. c. p. 408. 4.
*Virtus Heroica non piorum tantum est, sed in illos quoque cadit, qui
 extra Ecclesia vera pomæria, in quibus tantum salus, versantur. Non
 enim ex fide, sed speciali quodam Dei afflatu Virtus Heroica
 proficiscitur. Causa hæc est, cur ipsa scriptura Alexandrum
 Magnum volatu quasi suo omnes orbis terrarum partes perlu-
 strasse nomine hoc non obscure deprædicat Dan. 8. 5. Proinde
 licet in Regentis purius divinaque cum sanctitate Virtutis He-
 roicæ radii eluceant: veritas tamen ejus propterea Honestati,
 quæ extra Ecclesiam quoque coruscat, non repugnat.*

Quæstio VII.

An Virtus Heroica omnium æ- tatum sit?

B 2

Ætas

Ætas parentum pejor avis, tulit
Nos neqviores mox duros
Progeniem vitiosorem.

Ita quidem Lyricorum Poetarum Princeps Horat. Lib. 3. Od. 6. cecinit. Hinc facile aliquis, utrum Spiritus Heroum variis flagitiis, omniumque scelerum generibus non extinctus fuerit, subdubitare posset? Verum enim verò ut jam monuimus non Fides aut Virtutis sanctimonia, sed *æquè* potius *Θεοδότος* Virtutis Heroicæ causa est. Habuit certè Græcia suos Ajaces & Hectoras, Roma suos Cæsares, Camillos & Fabritios, nostra quoque ætas Virtutem hac non omninò destituitur, quemadmodum & hoc & superiori seculo Ecclesiæ suæ, Rebusque publicis nutantibus fortissimorum Regum & Principum brachiis divina Clementia succurrere & voluit & potuit. *Positis enim causis, Clariss. Heid. aliquoties citat inquit, effectus quoque poni oportet. Neque verò putandum, si in verum nulli nobiscum sint, Heroes ubique, Locorum nullos reperiri. Ut enim Virtus communis, ita & Heroica per totum terrarum orbem diffunduntur. saepe tamen si rei bene gerenda non detur occasio summis ingenta in occulto latent.* Benè hanc in rem Poeta:

Hectora quis nosset, felix si Troja fuisset?
Publica Virtutis per mala facta via est.

Nec obstat, quod nostra ætate Heroes corporis robore pristina tempora non attingant. Sic Milonem omnia supra communes naturæ vires egisse, suaque manu taurum fecisse victimam historiarum referunt monumenta. Plinius Lib. 2. scribit in Creta, cum terræ motu mons aliquis disrumperetur, cadaver quadraginta sex cubitorum stans fuisse repertum, quod Orionis quidam fuisse arbitrati sunt. De Castrioto panlectæ Turcicæ certiores nos faciunt, quod prægrandi ponderosoque acinace medios hostes

ad

ad umbilicum dissecuerit, transversos dividerit, saepeq; per cervicem integros cum humeris brachiorum art9 facile detruncaverit. Sed non ex stupenda corporis vastitate, verum ex singulari potius & in usitata animi conditione Virtutem Heroicam judicamus, cum vastissimi corporis homines extremae audaciae profligataeque malitiae ut plurimum sint studiosi. Aliam praeterea ob causam sapientissimus omnium rerum Conditor stupendam ejusmodi progeniem creavit. *Gigantes* inquit Augustinus lib. 15. de Civitate Dei, cap. 23. *propterea creare placuit Creatori, ut etiam hinc ostenderet, non solum pulchritudines, verum etiam magnitudines & fortitudines corporum non esse magni pendendas sapienti, qui spiritualibus atq; immortalibus longe melioribus atq; firmiteribus & bonorum propriis, non bonorum malorumque communibus beatificatur bonis.*

Quaestio VIII.

An AVTOXEIPES Heroes?

Cato Uticensis, superato Pompejo, gladio sibi mortem conscivit, Socrates Athenis morte damnatus cicutam intrepide hausit, Lucretia scelus a Tarquinio sibi illatum morte spontanea vindicavit, ergone hi quoq; Heroum titulo digni? Ardua quidem & animi imperterriti videntur facinora, nihil tamen minus quam Virtus Heroica subest, & Deo enim & sapientibus damnabile hoc mortis genus improbatur. Rectè Piccolem. Cavendum est, ne vitium nomine Virtutis Heroicae cohonestemus. Ubi Virtus Heroica ibi propositi bonitas. Honestatem enim, Pietatem & salutem publicam concernere unice debet. Ubi Virtus haec, ibi Alacritas & Celeritas sed non sine prudentia. Hinc Julius Caesar omnia fecisse fertur *μὲν δὲ ἀναβαλλόμενος*. Ubi Virtus Heroica ibi firma animi constantia

Tu ne cede malis, sed contra audentior ito.

Ubi Virtus Heroica ibi tandem anima ejus & vita, exoptatissima scilicet Felicitas. Sed hæc ubinam in *Αυτοχρησία*?

Quæstio IX.

An Virtus Heroica solius sit
Fortitudinis, an verò omnium
Virtutum?

Quamquam omnium quidem Virtutum Moralium quædam eminentia concedenda sit, non tamen is statim Heros dicendus est qui aliam vel Justitiam, vel Fortitudinem, vel Temperantiam, vel aliam Virtute præcedit. Singularis enim & rarus est Afflatus ille, qui Virtutem Heroicam constituit. Proinde sicut non soli Fortes Heroes, ita in Affabilitate, Taciturnitate, & Urbanitate Heroicus non facile quærendus erit animus. Ubi splendor illustrior, difficultas major dignitas sublimior, ibi Virtus Heroica suos clarius exeret radios. Quare Justitiæ præprimis Fortitudinis, Temperantiæ, Liberalitatis, Mansuetudinis, Constantiæ Virtus Heroica est, id quod testantur Exempla Moysis, Aristidis, Davidis, Simsonis, Alexandri M. aliorumque plurimorum.

Quæstio X.

An causa dari possit, ob quam Heroum exitus
plerumque sint tragici?

Tristissimus quòd sæpe numero Heroum sit exitus exemplis, ut sacra taceam, Herculis & Alexandri liquet. Sed quid causæ subest quæritur? Dicimus in causa esse impetum animorum Heroicorum vehementissimum, ob quem fit, ut multi multoties sui immemores ejusmodi se exponant periculis, ut velut in præcipitio constituti, facili labantur negotio. Tam illud quoque Ovidii neminem fugere potest:

Luxu

Luxuriant animi rebus plerumq; secundis,
Nec facile est æqvâ comoda mente pati.

Demum nec providentia Dei, nec pœna superbiam excipiens om-
ninò sunt excludendæ.

Quæstio XI.

An Megalander noster Lutherus Heros salu- tandus?

Assumimus Herois Definitionem, assumimus palmaria Herois Re-
quisita quibus ceu fundamento solidissimo Affirmativam Quæ-
stionis imponimus. Nam quid Heros est aliud, quàm qui peculiari
Numinis cælestis providentia excitatus, singularibusq; donis
communem Mortalium sortem excedentibus exornatus actiones
ut admirabiles, sic aliis minus imitabiles successu longe felicissi-
mò perpetrat. Porro: si afflatus divinus, si animus constantissimus
& plane imperterritus susceptorumq; exitus felicissimus Heroem
efficiunt, nihil magis quàm Heroem generosissimum B. Lutherum
fuisse asseverandù est. Ecquis enim inficiabitur, Animù Viri hujus
beatissimi electù à Deo & Ecclesiæ humanis traditionibus já diu o-
neratæ repurgationis, & lucis divinæ restaurationis extitisse. Huc
neq; Imperii majestas frangere, neq; Romani Pontificis potestas
vincere, neq; pontificiorum Scriptorum virulentia commovere,
neque Sacramentariorum audacia terrere, neq; Anabaptistarum
aliorumq; hæreticorù furor & rabies disturbare potuit, ut ipse ad
Electorè Fridericù & Fratrem ejus hæc scribere verba nò dubitaverit:
Oppugnavit me (verba Lutheri nostri sunt ἐν Φάρωσι plenissima
Tom. 7. Witteb. Lat.) *summis viribus totus orbis terrarum, & tam-
quam fuit ipsorum omnium impetus vehementior, eò facit majores progressus do-
ctrina mea. Quid ita? Nihil ego violenter egi, nullum motum excitavi, non cu-
pidus vindictæ fui, sed magistratum civilem reverenter colui, scriptis etiam meis
exornavi, quantum in me fuit, & quod præcipuum est, rem Deo committens in i-
plius potentia totus acquievi: sic adeò servatus sum in hunc usq; diem (frement li-
cet Pontifex omnesque adversarii) & simul mea doctrina multos ad populos di-
manabit.*

Quest.



Qvæstio XII.

An Virtutis Heroicæ dentur Extrema Aff?

In Excessu enim ipsi Insuper Feritas, immanitas & bestialitas sed
in defectu summa ignavia ipsi opponitur.

SIT TIBI DEUS GLORIA.

Heroicæ qui mente perquiris modum
SCULTETE Virtutis, probas Heroicam
Mentis bonæ indolem. Quid à Te postmodū
Sperare non queant Parentes optimi?
Benè auspicatus perge cœptam industriam.
Olim probabit ipsa res tuas minas.

Præstantis. Dn. Respondenti

συγχαίρων scrib. subitò

Balthasar Stolbergius, P.P.

& h. t. Colleg. Philol. Decanus.

Difficile est actūs Herois dicere digne,
Nam superant alios, quæ facit ipse, homi-
Tu tamen Herois naturam, svavis Amice, (nes.
Egregiè sistis factaq; tanta refers.
Gratulor his cæptis lætus, docto que labori,
Cunctos conatūs prosperet Ipse DEUS.

*Hiscæ animum suum Doctis. Dn: Respond: Amice
& Conviit: honorat: probabat*

M. Georgius V Wagnerus

Facult: Phil: Adj:

✓
00 A 6436

ULB Halle 3
004 931 300


KD 18







Inches

1 2 3 4

5 6 7 8

9 10 11 12

13 14 15 16

17 18 19

20

Centimetres

1 2 3 4

5 6 7 8

9 10 11 12

13 14 15 16

17 18 19

20

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

81

XXV

Ex

ICIS

ATIONEM

DE

TE HE.

ICA,

ESES

US Stamm/

densis Saxo

NDENTE

RICO SCULTETO

si Misnico

bebit

Mart. Horis matut.

orio Minori.

EBERGÆ

RCKARDI, Acad. Typogr.